

Totusq; Senatus Academiae Marpurgensis, Omnibus omnium Facultatum Studiosis, S. P. P.

WS 1638



Veniamus admodum ii, qui peregrè proficiscuntur, cum ad urbes insigniores, propter res raras & visu dignas, sermone hominū celebratas veniunt, illos, quos appellant Xenagogos, adhibent, qui ad loca urbium illarum memorabilia eos deducant, resq; visendas demonstrant: ita juvenes, in Academiis commorantes, studio literarum & bonarum liberaliumq; disciplinarum & scientiarum cupiditate teneri decet, iisq; uti, quasi Xenagogis, ut eas res discant & assequantur, qua ad regendum totius vita cursum, & gubernandos mores, quam maximè necessaria & digna existimantur. Quod igitur felix faustumq; esse velit, Deus T. O. M. quodq; Ecclesie sit salutare, Republica literaria laudabile, universa patrie utile & gloriosum, operarum nostrarum Academicarum specimen, juxta morem ab annis non paucis receptum, nunc iterum publicamus & in tabella subjecta, vobis, Curves Academici, exponimus, ut quid ab unoquoq; nostrum per hybernum semestre, in praelectionibus publicis & privatis Collegiis expectare, quosq; Xenagogos in studiis adhibere debeatis, intelligere & studiorum vestrorum rationem accommodare ad id possitis. Vestrum erit lectiones publicas diligenter & sedulo visitare, uniceq; prospicere, ne vel ullum diem, ullamve horam praterire patiamini, quā non viatici aliquid, in hoc optimarum artium tempore, ad futuros usus, vobis colligatis ac seponatis. Nos nostram diligentiam fidemq; in officio, curam & vigilantiam vobis promittimus ac pollicemur. Simul etiam Deum aeternum ac misericordem supplices veneramur & ardentibus suspiriis gemitibusq; oramus, ut paternā motus gratiā & benignitate, indignationis justissime furorem, quod hactenus apud nos in primis clementissime fecit, porro etiam reprimat & propter nominis sui gloriam, Patria nostra dulcissima & huic in primis Sioni sua tempora largiatur pacata & tranquilla atq; a contagio morborum venenatis libera & soluta. P. P. IV. Non. Septembr. Anni M. DC. XXXIIX.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Justus Feurbornius, S. Theologiae D. & Professor, ubi alios sibi commissos labores absolverit, eadem methodo, quā reliquos Evangelistas hactenus explicavit, S. Johannem etiam portō dilucidabit. Praeterea *Anti-Eniedinum*, typis excubendum, in Collegiis Theologicis, quae aperiet, publice ventilabit, & V. ac N. T. Dictas aeternam Christi Deitatem adstruentia, à pervertis Eniedini glossis vindicabit.

Johannes Steuberus, SS. Theol. D. & Professor, in Theologia morali de conscientia recta & erronea, certa & probabili, praecipiente & suadente, dubia & scrupulosa, itemq; de actibus humanis voluntariis & involuntariis casus varios proposuit, eosq; ex Sacra Scriptura, Conciliis, & Patribus resolvit, nunc progredietur initium facturus de Legibus.

Postquam praeterita aetate Collegium Anti-Calvinianum absolvit, nunc Anti-Papisticum aperiet, & Theologiam moralem Synoptice descriptam exhibebit.

Meno Hannekenius, S. Theol. Doctor, ejusdemque & Hebraeae Linguae Professor, Exercitia Biblica publice continuaturus, & privata collegia Hebraica & Syro-Chaldaica aperturus est.

Johannes Henricus Fossor, SS. Theol. D. ejusdemq; Professor & Pedagogiartha, & c. q. ca, quae adhuc restant de servo arbitrio breviter explicabit, quibus praemissis doctrinam de lege tradet: Continuat etiam sua contra Pontificios & Calvinianos Collegia.

IN FACULTATE JURIDICA.

Antonius Neseus, J. U. D. Facultatis Juridicae Primarius, & Academiae Pro-Cancellarius in explicandis & decidendis practiciis quaestionibus, Criminalibus, Civilibus & Feudalibus, quibus hactenus occupatus fuit, perget eademq; Resolutiones variorū Judiciorum, imprimis Cameræ Imperialis, praedictis confirmabit, & multarum singularium legum verum intellectum Theorico-Practicum adjunget.

Johannes Briedenbach, J. U. D. & Codicis Professor, Deo annuente, casus nobiliores juridicos explicabit, & simul, ad petitionem studiosorum, disputatoria exercitia instituet.

Justus Sinott, cognomento *Scylla*, D. & Pandectarum Professor, in explicandis utilioribus pandectarum legibus perget. Col-

legia quoque Juris publici, privati ac feudalis publica & privata pro studioforum petitione aperiet.

Johannes Kernmannus, J. U. D. & Professor Institutionum Imperialium ordinarius, p. R. E. C. T. O. R., in explicatione tit. 10. de Nuptiis & seqq. quaenam per *Recloratum* & *Decanatus* officium liceat, publice progredietur. Privatim vero Collegia cum disputatoria tum explicatoria ad petitionem studiosorum aperiet.

IN FACULTATE MEDICA.

Nicolaus Braun, Medicinae D. & Professor, licet, quoad profitendi munus ab Illustriss. nostro Principe rudè donatus sit, facultatem tamen Medicam & re & verbis fideliqu; opera juvare tenetur.

Johann. Daniel Horst, Medicinae Professor, publice Anatomiam docebit, privatim ex instrumentis Medicinae Chirurgiam exponendam seliger.

Johann. Tiesmannus, Doctor & Medicinae Professor Ordinarius, Anatomiam publice docebit, Disputationes item pathologicas continuabit, privatim quoque studiosis se accommodabit, eorumque petitioni satisfaciet.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. Theodorius Vetter, Prof. Graec. praeterita hac aetate, ex illustri adagiorum Erasmi Roterdami opere, & Eberhardi Tappii Compendio, in usum linguæ Graecae studiosorum, praecipua tantum proverbialia Graeca selegit, carumq; originem & usum accuratè exposuit. Sententias elegantioribus, ex Theophrasto, & aliis, ad finem simul adjectis. Nunc deinceps hac hyeme solam linguæ Graecae praxin, publice hora 12. proponet, eamq; ex Colloquiis familiaribus Joannis Posselli, olim Graecè & Latine editis, perspicue explicabit. Collatis passim Isoctasis elegantiss., ad verum Graecè loquendi & scribendi modum applicatis. Collegium etiam exinde Graecum privatim petentibus aperiet.

M. Conradus Bachmannus, Milsung. Hædus, in Heroe suo, virtutes heroicas quaeret, easq; aliis quoque similibus Regum & Principum virtutibus illustratas Auditorio suo monstrabit. In primis aurem Trojanum Excidium admodum affectuosè a Poeta descriptum explicabit.

M. Casper Ebel, Logicae & Primæ Philosophiæ Professor Ordinarius, publice in explicatione regularum perget, Collegia

etiam Logicae & Metaphysicae publica & privata continuabit, & alla pro voto & commodo Philosophiæ studiosorum, addet.

Johann. Conradus Schragmüller, SS. Theol. Doctor, & Physices Professor ordinarius, Antilogias physicas, quoad partem specialem, absolutè generalis, continuabit. Collegium Eclogarum physicarum deducet: nec non publicum aliud per universam physicam subinde inchoabit, cui Commentariorum in *parva Naturalia* Aristotelis adjunget. Privatim vero Collegium Explicatorium absolvet, & Disputatorium juxta Syllabum Problematum Naturalium, Deo annuente, auspiciabitur.

Johannes Sigfridus Blanckenheim, J. U. D. & Philosophiæ practicae Professor Ordinarius, Moralium Aristotelis ad Nicomachum expositionem continuabit, Collegia etiam Disputatoria Ethica & Politica instituet.

Johann. Balthasar Schuppis, Eloq. & Histor. Professor, ad finem deducta Argeade Barclaji, docebit usum eruditissimi libelli, quem Erasmus Rotæ. conscripsit de verborum rerumq; copia. Deinde ostendet festivam, miram & incredibilem persuadendi vim, quæ delitescit in fabulis Aesopi. An Aesopus Phryx fuerit vel Salomonis Musicus, peculiari Oratione dicet. Privatim continuabit Collegia Chronologica & Historica, quæ per varietatem negotiorum aliorum absolvere non potuit ut voluit.

M. Ernestus Mylius, Mathematicos Professor ordinarius, studiosæ juventuti Arithmeticam ita proponet, ut operationes perspicuis præceptis tradat, Exempla ex sacris & profanis historiis deproinat, & tandem operationum modos ex Euclide demonstrat. Hæc absolutè Geometriam auspiciabitur.

M. Conradus Matthias, Grunbergæ Hassus, publicus Professor Philologo-Criticus, quæ adhuc supersunt aliquorū libr. 3. *gensal. diar. Philologi illius ter. maximi, Alexandr. ab Alexandr. Jurispr. Neapolitani* capita explicanda, & demum quæ in 4. consequenter poterit, publice pro more suo, quo hactenus facere consuevit, Deo feliciter id ipsum largiente, percurrat breviter. Privatim vero domi vel jucundissimum Galeotti, illius Martii, & c. de doctrina promissionis libellum, vel iterum ingeniosissimam illam Joann. Barclaji Argeadem, quam cepit, continuabit unā cum exercitiis aliis cum *Pactis & Oratoris, tum & historico-politica.*